bent. Horum trium Avus fuerat Curio, & erant filii Domini *Anshelmi de Montfort*, qui sex habuit filios, scilicet *Wolfrandum* quem hæredem esse voluit nominis & Castri *Montfort*. Secundus fuit ille *de Werdenberg*. Tertius *Anshelmus de Rinegg*. Quartus *Heinricus de Schellenberg*. Quintus *Wilhelmus*, & hunc misit ad Palatinum Rheni, qui ei tradidit filiam uxorem, & partem in Suevia contulit juxta Tubingen cum clipeo aureo & rubro in eo vexillo. Hic castrum & oppidum *Tubingen* fundavit, & *Palatinus de Tubingen* nominatus fuit. Sextus filius Anshelmi de Montfort erat (*Rulandus*) cui desponsavit filiam Baltasar de Herrenberg unicam. Sicque Baltasar obiit, & omne dominium Anshelmo mansit, à quo *Domini de Herrenberg* fuerunt profusi. Quartus filius Curionis *Wiltprandus Dominus in Lutkirch*, qui duas habens filias cum Uxore Nobili *de Sunnaberg*, unam dedit cuidam *de Roppoltzstein*, alteram Domino de *Rotenburg* tradidit. Ædificavit autem castrum *Hochentan* in valle. Post obitum Wilprandi ejus cepit hæreditatem Anshelmus de Montfort, eo quod filium hæredem non dereliquit. Posthoc facta est contentio inter duos fratres, filios Anshelmi de Montfort, scilicet inter Wolfrandum & C. de Werdenberg, qui castrum *Vaduz* ædificauit contra fratrem, ut ex eo sibi insidiaretur Oppidum etiam *Touuenfeld*, quod postea dictum fuit *Feldkyrch*, contra Wolfrandum fuit, quibus C. de Werdenberg auxilium præbuit. Dominus autem Wolfrandus de Montfort Ducem Sueuorum Romulum patruum suum de Rauenspurg aduocauit, oppidum Touuenfeld cepit, ejus nomen mutauit, & Feldkirch appellari voluit.

Deinde Dux Sueuorum Romulus audiens Comitem *de Teck* male de fide Christiana sentire, aduocatis fratribus & amicis contra prædictum Comitem processit, cui in adjutorium contra Comitem uenit Dominus *de Helffenstein* de castro ejusdem nominis, quod construxerat. Venit etiam *de Tubingen* nepos Ducis Palatinus & Dominus *de Herrenberg* & Baro *de Stoeffel*, & Dominus *de Gerbusen*, & Comes *de Achalm*, factusque est exercitus magnus in parte Ducis. Ut autem innotuit res Comiti de Teck, advocavit *Wendelinum* Marchionem *de Burgouu* filium sororis suæ in adjutorium, qui venit cum ingenti multitudine Bavarorum, habens XXXVIII. milia pugnatorum. Dux autem Sueviæ tantum habuit XXIV. milia. Congressi ergo sunt duo exercitus sub castro *Teck* in campo juxta villam *Husen*, & victoria cessit Duci Suevorum. Marchionem ergo de Burgouu captivum cepit, & quatuor *de Rechberg*, qui tunc dicebantur de rubeis leonibus, & residentiam habebant in Marchionatu Burgouu, & duos *de Ybach*, & unum *de Lamberg*, tres *de Westerstetten*, duos *de Ringingen* & unum de *Mulbusen*. Capti ergo gratiam Ducis petierunt, quibus non indulsit redire ad propria, sed eis montem grandem tradidit Rechberg dictum, & ædificare castra licentiavit, tunc ædificatum est castrum *bochen Rechberg* & alia castra in circuitu. A tergo vero montis Rechberg ædificaverunt in nemore curiam in valle pro solatio

Vena-